

cordis inclinatione. Et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea cito admoneas, aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te adsurgere, aut totum contemnere atque transire vanus hebesco. Quid cum me domi sedentem stello musca captanas, vel aranea retibus suis irruentes implicans, saepe intentum facit? Num quia parva sunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium; sed non inde intentus esse incipio. Aliud est cito surgere, aliud est non cadere. Et talibus vita mea plena est, et una spes mea magna valde misericordia tua. Cum enim hujuscemodi rerum conceptaculum fit cor nostrum, et portat copiosae vanitatis catervas, hinc et orationes nostrae saepe interrumpuntur atque turbantur, et ante conspectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus, res tanta praeciditur.

CAPUT XXXVI. TERTIUM SUPERBIAE, NON DEO, SED HOMINIBUS
PLACENTIS.

Numquid etiam hoc inter contemnenda deputabimus, aut aliquid nos reducet in spem, nisi tota misericordia tua, quoniam coepisti mutare nos? Et tu scis, quanta ex parte mutaveris, qui me primitus sanas a libidine vindicandi me, ut propitius fias etiam caeteris omnibus iniquitatibus meis, et sanes omnes languores meos, et redimas de corruptione vitam meam, et coronas me in miseratione et misericordia, et saties in bonis desiderium meum, qui compressisti a timore tuo superbiam meam et mansuefecisti jugo tuo cervicem meam. Et nunc porto illud, et lene est mihi, quoniam sic promisisti et fecisti; et vere sic erat, et nesciebam, quando id subire metuebam. Sed numquid, Domine, qui solus sine typho dominaris, quia solus verus Dominus es, qui non habes dominum, numquid hoc quoque tertium tentationis ge-